Rx. Gellis 24 Aug. 46.

176

Nobilissimo viro D. Constantino
Hugenio Eq. Zulichemi de Zeelhem
Dno &c. C. Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Dne,

Dum in castris inter armatos vivis, ego inter inermes Musas
tero canicularium dierum otia. Historia Brasiliana
sub prelo est et cum typographorum lentis operis luctatur.
Vobis quaeritur belli materies, quae magna passim
patet. mihi materies scribendi de Barbaris et Indis,
populis. Vobis trajicienda non sine discrimine flumina,
hostibus copiis infesta. mihi Oceanus, sed absque discri-
mine. Antverpia mea nolet ingloria dedi, nec se
incruenta victoria vinci sinet. Stat illa intra
omnium vota et spes, sed et intra fortunae et
casuum aut potius Fati arbitria, quae an nobis
indulgere cupiant istam Helenam et Europae ocellum
in ambiguo est. Fui ante biduum apud Tesselam
Alcmariae. pingit et Parnassos portatiles condit
sagax mulier. illic vertices, latebras et secessus
fabricat, unum tibi, alterum mihi in monte fecit.
Illam sic expectamus, ut Muidam abeat cum Zammero
cognato, comite perpetuo, quem, quoties iocari libet,
non Draconem sed custodem aurei velleris vocare
soleo, ne illud Jason aliquis aut Argonauta
Amstelodamensis auferat. Vellem te prunis
Muidensibus nobiscum vesci posse, seposita omni
zelotypia. Sed vicinior es istorum prunorum
& glandium missi, quibus urbes et castella subru-
untur et oppugnantur. Faxit Deus ne istius ictus
te fructus feriat. Est enim ex illarum nucum
numero, quarum unica prodest, nocet altera,
tertia mors est. Filium quaeso in oculis habe et
ut obsequiosus sit in Dominum suum mone et periculo-
rum aestimator serius. optimae est indolis et favore
tuo, etiam ob me, dignus. Vale Hugeni Praestantissime
Salutant N. T. Hooftius et Hooftia. Amstel. 2 Aug. 1646.

V. Tuae
observantissimus
Gadem nosti
Vide

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

In Parnassum Tesselae.

Barbara quid celebres ostendas Graecia montes!
Et latè geminis saxa superba iugis!
Phoebus ubi doctaeq. habitant fastigia Musae,
Cunctaq. Pegaseo numina fonte bibunt.
Fabula sunt Graij montes, iuga, flumina, rupes,
Et cum carminibus nomina vana suis.
En novus Arctois Parnassus surgit in oris,
Almerijsq. levat nobile culmen aquis.
Tessela Parnassum mulier clarissima condit,
Jamq. potens montes Tessela nostra facit.
Et viridi musco rupes investit et herbis,
Ut possit calidis vatibus umbra dari.
Tessela pro Phoebo est, pro Musis, Pallade, quicquid
Numinis est, in se Tessela grandis habet.
Hic Tassos Italosq. sagax matrona penates
Versat et ingenio liberiore ruit.
Hic pingit vel Camoena canit, vel lenis inebriat
Vatibus, et curas effugit ipsa suas.
Hic mihi secessus indulget & otia vati,
Neq. sinit montis parte benigna frui.
Tessela sunt latebrae, latebris me abscondo ubi istis
Ut possim è latebris haec tibi verba loqui:
Tessela, quae montes et partes conficis orbi,
Quid superest! mundos, Tessela, conde novos.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419

Nobilissimo Viro
D. Constantino Huygenio
Eq. Zulichemii et Zeelhemi
Dno Suo.

In castris.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 176
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4419